



**T**Visco, qui in sacris literis Atschinatz dicitur, filius fuit Gomeri, nepos Iaphetis, & pronus ipsius Nohe. natus est anno creationis mundi, millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, anno post diluvium centesimo tricesimoprimo, & post linguarum confusione, tricesimoprimo. Itaque ipsum attauum Nohe de diuinis oraculis concionantem, atque mirabilia Dei posteris referentem, magna attentione cum alijs audiuit, cum Nohe post Tuisconis ortum adhuc ducetos & nouemdecim annos uixerit. Hinc tradunt Berossus & antiquissimi scriptores, hunc Tuisconem fuisse ipsius Nohe filium, quem & Ianum dixere.

cum tamen Ianus Iaphetis filius & Tuisconis patruus extiterit. Hoc autem ideo forte factum, quod Tvisco crebram de Nohe mentionem apud posteros fecerit. Cum itaque linguarum confusio facta esset, atque Nemroth, Cham filius in Assyria tyrannidem exercebat, Tvisco libertatis auidus, quam primum per aetatem licuit, cum uiginti ex suis consanguineis & popularibus atque multis alijs hominibus, qui eandem linguam cum ipso sortiti erant, ex Armenia discensit, flumen Tanaim, qui Asiam ab Europa seiungit, superauit, atque in eas Europe regiones, quae Germaniae assignantur, peruenit. Nam in divisione terrarum sorte huiusmodi prouinciae ei obuenerant. Erat autem ipse prudenter, & fortitudine nulli eo tempore secundus. Itaque totam Germaniam partim blanda oratione, atque uarijs pollicitationibus, partim uia atque armis, in suamditionem rededit. Postea uero incolis suam linguam imposuit, & alterius linguae homines suo regno expulit. Hinc factum, ut omnes eius subditis, ab ipso domino Tuiscone, Tuiscones, aut Teutschen denominati fuerint, quo nomine etiam adhuc potissimum in propria lingua delectantur.